

Omnes etiā fratres ordinis Cisterciensium et omnes res eorum in tuitione mea et custodia recepi/ ut libere et secure per totā terram meā ipsi et res eorum eant et veniant/ et si forte damnum aliquod in terra mea ipsi aut res eorum fecerint capitale reddendo liberi et quieti remaneant. Huius rei testes sunt magister Arpinus notarius meus/ Wilhelmus de Chamuis/ Wilhelmus de ceis/ Humbertus de paerna. Ut autē hoc donum ratum semper et inconcussum permaneat sigilli mei impressione cartam hanc confirmo. Anno ab incarnatione domini millesimo centesimo septuagesimo tertio. Rege Luduico regnante.

**Dominus montis beleti dat omnibus abbatibus ordinis Cisterciensium liberum transitum per terram et aquam in tota potestate sua sine pedagio exactione et seculari consuetudine.**

Ego Delardus dominus montis beleti volo notum fieri presentes litteras inspecturis/ quod Delardus pater meus pro remedio anime sue et omnium tam predecessorum quam successorum suorum me presente et laudante dedit beate Marie Cistercij et fratribus ibidem deo seruiantibus sed et omnibus abbatibus Cisterciensium ordinis in perpetuam elemosinam liberum transitum per terram et aquam in tota potestate mea sine omni pedagio et exactione et consuetudine seculari de omnibus rebus suis/ et hoc ipsum laudavit Agnes mater mea. Ut autē illa donatio maiorem obtineat firmitatem ego ipsam presentis scripti et sigilli mei patrocinio confirmavi/ et venerabilem pontium Abatisconensem episcopum diligenter rogavi/ ut hoc ipsum sigilli sui appositione muniret/ ita quod si successu temporis aliquis contra predictam donationem veniret profatus episcopus et successores eius in illum excommunicationis sententiam promulgarent. Ego igitur pontius Abatisconensis episcopus prescripte donationis scripto sigillum meum apposui ad preces viri nobilis memorati.